



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXIX. Armis sepulchri victor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

meum alebat. Miraris? misericors est, & hoc accusas forsitan non personam æstimavit, sed fortunam. Est hoc vitium illius: nuper & raptoris misera est. Sed quid tam valde iste peccavit, ut mori debeat? Me, inquit, perire voluit. Imitaris, quod arguis. Ergo peccavit, idem facis. Crudelitatem & accusas & imitaris. Sed ille merito: quippe raptorem. Puta peccasse: satisfecit, rogat, miser est, hostes quoque parcunt. Denique hæc meruit: hanc respice. Te quoque, inquit, abdicavit. Relinque æstimationem ipsi doloris sui: sine ipse vindicet. Sed cur vindicet? merito abdicata est. Te servaverat, meruit exulare. Sed puta injuste abdicasse, pater est. Non respicimus in ejusmodi fortuna, quid meruerit. Denique quid faciet mulier, cum ad januam venerit? & quantum est, quod præstat? Quo nunc se misera conferet? cum patre nimirum mendicandum habet. Facile tamen maritum inveniet: tantum ne impune læsa sit, solatium petit.

CCCLXIX.

Armis sepulchri victor.

SEPULCHRI VIOLATI SIT ACTIO. Quidam arma de sepulchro viri fortis, suis consumptis, sustulit, victor reposuit. Reus est violati sepulchri.

DECLAMATIO.

Potui inficiari, quod objicitur. Detracta arma dicis? Nego: mentior? eamus in rem præsentem, ad numerare volo: si quicquam defuerit, damnari volo. Sed non corrupam gloriam meam, ut dissimulem, propter quod vir fortis honoratus sum. Sed quid faciam? non licet mihi ista narrare: instat livor: & id, quod salvus est, odit. Sepulchrum, inquit, violasti. Non utcunque attingitur sepulchrum, violatur: alioqui nec inferre mortuos liceret,
nec

1 Sine ipse vindicet.] Lege: sine ipsa vindicet. rapta dolorem abdicationis. Idem. nec inferre mortuos. Pithæus. Nec inter mortuos licet.] Scribe: nec inferre mortuos liceret. Gronovius.

2 Nec inter mortuos.] Fortasse melius,

nec collapsa reficere, nec ornare. Aut si utcunque attingitur, violatur, bis ergo peccavi, & cum sustuli, & cum reposui. Sed non ita est: & mens absolvitur. Sic Romani gloriose spoliarunt Jovem: sic Saguntini fecerunt parricidium. Si ergo mens in factis spectatur, meam inspiciate: quare violo? inimici sepulchrum est: immo etiam commilitonis amici: credibile enim est similes propositis amicos fuisse. Deinde, ut etiam vivo nocere voluerim, mortuo tamen parcendum est. Deinde, quo tempore? bello inter pericula odiis vacua. Sed quid sustuli? aurum credo, aut defossam pecuniam? Arma. Ista virtutis instrumenta, non sceleris sunt pretia, quibus præmia merui. Nisi illa sustulisset, non accusasses: non haberes leges. Sustuli, confiteor: sed publicæ salutis causa. Miraris? ipsorum sepulchrorum ruina si possem, hostem repellerem: tecta in subeuntes, & sacra, quin etiam templorum fastigia, desperantium tela sunt. Certum est omnia licere pro patria. Denique vos interrogo, quid faciam? magna pars exercitus in me cessat. Armati sunt interim etiam inertes, etiam mortui: solus nudus steti. Quanquam quod quæro, habeo: sententiis vestris honorastis, & sciebatis his me armis vicisse, nec sane aliud dedissetis consilium, quam locus & tempus. Visus est mihi emergere tumulo vir fortis.

CCCLXX.

Rapta competitrix divitis filia.

INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. QUI INGENUAM STUPRAVERIT, DET DECEM MILLIA. Pauperis & divitis filia petebant sacerdotium. Rumor erat pauperis filiam futuram sacerdotem. Eam parasitus sub diem comitiorum rapuit. Dives offert pro eo decem millia: inscripti maleficii reus est.

DECLAMATIO.

Non est, inquit, inscriptum: quia certa lege comprehensum est. Hoc diceret raptor, si cum illo agerem. Sed aliter mecum tibi consistendum est. Rapere enim usitatum est: subicere raptorem, novum. Nunquam hoc timuere majores.

CCCLXXI.